



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bavariae Sanctae Volvmen ...

Rader, Matthäus

Monachii, M.DC.XXIV.

B. Lavrentivs Primvs Lavreacensis Ecclesiae In Norico Apostolvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79699)

2 B. LAURENTIUS 22

PRIMVS LAUREACENSIS ECCLESIAE

IN NORICO APOSTOLVS



Portuit hunc sanctissimum virum in primo Bauariae Sanctae opere, principeloco collocatum, cum omnibus reliquis antiquior aëuo præcedat; nec fanè per obliuionem eius nomen ibi præteritum est, vt in ipso voluminis exordio (quod est de primis apud Boios Euangelij præconibus) videre est; sed cum parum nobis id loci, qui vir fuisset, liqueret, & progressu temporis plura de illo cognosceremus, omnino faciendum existimauimus, vti eius nomen in altera hac lucubratione ceteris ob temporum rationem præfigeretur, adeoque clariùs latiùsque inuulgaretur, cum eius memoriae honorique publicum, quod est omnium antiquissimum in Norico, templum hodièque visendum, vti Diuo Sanctoque constitutum sit. Hic ergò D. Laurentius (qui non ab illo inclito Christi athleta, per Decij seu Valeriani tyrannidem, rogo tosto nomen accepit, vt Cuspinianus in Austria & dubiae chartae Patauiensis docent, cum ducentis ferè post annis Martyr vixerit) S. Petri Principis Collegij Apostolorum sectator, siue ipsius Petri, siue D. Marci Euangelistae, siue Hermagorae missu, cum alijs in Noricum venit, & Laureaci nobilissima Romanorum olim colonia caelestem Christi legem interpretatus, multos caelo affetuit, & fundamenta Christianae reipublicae iecit, tantamque sanctitatis famam apud populum meruit, vti mortem eius votis sequerentur, memoriam templis consecrarent, eumque inter Diuos & caelites venerarentur. Possis conijcere Laureacensem potius quam Laurentium dictum hunc Episcopum vel presbyterum vel Apostolum nomine proprio oblitterato, alioque ab loco accepto.

Quae de S. Laurentio Martyre apud Bruschiū habentur (vt & Cuspinianus fabulatus est) nullam merentur fidem.

Hac ferè de B. Laurentio, primo apud Laureacenses præconeprodita leguntur. Quae silentio transmittenda non videbantur, cum primis Christianae doctrinae magistris non minus quam parentibus debeamus.

Intra centesimum Christi annum.

Pag. 11. f. 2.

Brusch. de Patav. p. 23.

Molan. append. ad Vjurd. p. 224.

Hund. metrop. p. 108.

M. v. l. 3. Buc. p. 175.

M. S. Ep. Patavense p. 662.